

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

per hemicraniam & punctiones atque dolores utriusque oculi potuiffem. Hoc vespere rursus vocatus sum ab eodem equite. Hemicrania quidem molesta amplius non est : sed oculorum dolor, ut medici vocant, punctorius per intervalla quotidie redit. Quid tu suades? equitare non possum propter herniam. Vehiculi agitationem metuo, & vertigo impedit, peditem me ad vos venire. Significarunt isti delecti, ut si per valetudinem venire non queam, per procuratorem agam aliquem, id quod facere constitui: & jam Gryfio per literas commendavi, ut pro me adfit. Rogo te, adsis illi consilio, utut excusatus videar, ne videar contumax, & Gryfius pro me benè respondeat. Quale, mi Comptater, putas esse album meorum amicorum, scribe saltem aliquid ad me, ut sentiam me abs te amari. Vis scire, quo sim animo? video, audio, spero. Omnia ista rectè. Unum non rectè, quod doleam, non licere ulcisci. In quo tamen etiam me consolor. Stultum est, etiam si posses, ulciscendo meum jus vindicare. Sit DEUS vindex suorum, & sui precentur: remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus. . . Istud quidem verè & ex animo scribo; sed tamen cupio me aliquo talitro ulcisci posse. Has ego puto esse non impias vindicias. Vale cum uxore optima Matrona & de me benè merita propter matrimonium meum: & cum liberis tuis suavissimis. Northemii, 17. Novembr. Ao. 81.

Joan. Sturmii, hodiè Rector.



LXIV.

Milhemio.

Commendavi Dno. à Watvveil causam meam pecuniariam Gallicanam, quam tamen si turpe ducam defendere, tamen necessitas me cogit, ut mihi non desim. Nam & pecuniam amitterem, quod parum esset, & simul existimationem meam proderem, quam maximi facio: tum etiam causam religionis & ecclesiarum defererem, quod nefarium facinus esse duco. Si hæc tria virum bonum movere debent, rogo te, mi Milhemii, ut quod à Domino Watvveilano petii, idem tu facias, ut & mihi adsis in mea pecunia recuperanda, sine qua adversarii resistere non possum: & fama atque capite meo defendendo, sine quo vivere non possum: & in tuenda religione Ecclesiæ Christi, sine qua salus consistere ipsa non potest: idem etiam tu pro tua virtute & prudentia & autoritate & fortitudine pro me suscipias. Puto me petere, quod æquum est, à viro maximo in Republ. vestra. Credo etiam, tui officii esse, istud

Uuu uu

istud facere, & ex hoc officio laudem & gloriam cum apud tuos tum apud exteros invenire.

Istud non peterem, si putarem præcox esse consilium, sed prope nimis diu expectatum est. Frustra fit, quod sero fit. Prudentium est providere, ut ne quid sero suscipiant. Est etiam prudentium Rerump. & Senatorum, ita ecclesiam Christi defendere, ut non minus exteris quam suis ecclesiis consulant. Unus enim Christus Dominus noster, & una Ecclesia Domini nostri, ergo & membra debent esse uniusmodi, idem velle & idem nolle omnium. Sed hæc dum scribuntur, dum vera esse fatemur, quotusquisque est, qui istud suscipiat? Miseros mortales, qui nostra culpâ miseri sumus. Vale Northemii, 27. Febr. Anno 82.



LXV.

Laurentio Tuppio.

Tibi & Licentiato Heisio, mi Tuppi, cum paucis amicis salutem debeo, & huius beneficii memoriam, dum vivam, ex animo meo non deponam. Fortissimè tu in consilio Academico neglecta importunitate Heldii, tertii consularis, inimici mei, quem sentio à Georgio Obrecht & Marbachiana & Flaciana factione inflammatum esse. Quemadmodum Heisio scripsi, sic etiam tibi scribo, neque habendis neque agendis gratiis idem potero facile ullo vestro tempore, quod vos in hoc necessario meo tempore fecistis. Atque etiam ejciar ex Alsatia, locus tamen erit alibi, ubi viri etiam tibi boni erunt & prudentes & taciturni & literati, apud quos vestrum patrocinium potero consuendo celebrare. In perpetua nostra inhærebit memoria Languetus noster, qui Philippum semper defendit etiam mortuum. Quantum ad me attinet, etiam mea fama mortua est, his ignominiosis Decretis. Innocentia tamen adhuc vivo & nomina vestra celebrabo. Quantum attinet ad ea, quæ Spiram missa sunt, aut mittentur, ea omnia volo mea dici, ut sunt, ut in hac infami fama, hoc est, injuria, laudem ingenii mei: quemadmodum heri tibi per Georgium meum significavi. Vale mi Tuppi, patrone observande. Northemii, 10. Januarii, Anno 1582.

Joan Sturmius, S. A. Rector.

LXVI.

Eidem.

DE controversia, quæ est inter villicum meum, qui fuit annis hisce proximis tribus, & inter me intelliges ex Licentiato Lobarto, Adeste consiliis